

**HANNIBAL; SIVE DISPUTATIO, QUA
ID AGITUR, UT SUMMUS ILLE
POENORUM IMPERATOR CONTRA
CRIMINATIONES QUASDAM T.
LIVII DEFENSUS DETUR**

Published @ 2017 Trieste Publishing Pty Ltd

ISBN 9780649223862

Hannibal; sive disputatio, qua id agitur, ut summus ille poenorum imperator contra
criminationes quasdam T. Livii defensus detur by Henr. Alanus

Except for use in any review, the reproduction or utilisation of this work in whole or in part in any form by any electronic, mechanical or other means, now known or hereafter invented, including xerography, photocopying and recording, or in any information storage or retrieval system, is forbidden without the permission of the publisher, Trieste Publishing Pty Ltd, PO Box 1576 Collingwood, Victoria 3066 Australia.

All rights reserved.

Edited by Trieste Publishing Pty Ltd.
Cover @ 2017

This book is sold subject to the condition that it shall not, by way of trade or otherwise, be lent, re-sold, hired out, or otherwise circulated without the publisher's prior consent in any form or binding or cover other than that in which it is published and without a similar condition including this condition being imposed on the subsequent purchaser.

www.triestepublishing.com

HENR. ALANUS

**HANNIBAL; SIVE DISPUTATIO, QUA
ID AGITUR, UT SUMMUS ILLE
POENORUM IMPERATOR CONTRA
CRIMINATIONES QUASDAM
T. LIVII DEFENSUS DETUR**

HANNIBAL;

SIVE

DISPUTATIO, QUA ID AGITUR, UT SUMMUS
ILLE POENORUM IMPERATOR
CONTRA CRIMINATIONES QUASDAM T. LIVII
DEFENSUS DETUR.

NUNC ITERUM EDITA AUCTION.

SCRIPSIT HENR. ALANUS.

" Quid . . . arrogantius . . . quam Hannibali . . . praecepta de re
militari dare?—CICERO.

DUBLINII: APUD HODGES, SMITH, ET SOC.
LONDINII, ITEM EDINAE, APUD WILLIAMS ET NORGATE.

MDCCCLXVI.

296. 9. 3.

DUBLINI:
IMPRESSIT M. H. GILL,
ACADEMIAE TYPOGRAPHUS.



PRAEFATIO.

NUPER Livium relegens sane quam moleste tuli, quum viderem Historicum in summum illum imperatorem, qui tot annos cum populo Romano de imperio certasset, animum gerere iniquiorem. Itaque suscepi summum omnis memoriae imperatorem utcumque pro viribus meis (quantulae eae cumque sunt) defendendum. In qua causa supervacaneum puto ad benevolentiam lectoris multis verbis viam adfectare: quam certo scio in tali proposito ultro mihi adfuturam.

Dublini: Idibus Martiis, MDCCCLXV.

(Nuper Editae)

EMENDATIONES LIVIANAE, 1864;

OBSERVATIONES IN Q. CURTIUM RUFUM, 1865;

CURAE IN SALLUSTIUM SECUNDAE, 1865;

SCRIPSIT HENR. ALANUS.

(Parantur)

EMENDATIONES LIVIANAE ALTERAE.

HENR. ALANI

HANNIBAL;

SIVE DISPUTATIO, QUAE, *ETC.*

GRAVE onus suscipiunt ii, in Hannibale qui culpam aliquam artis imperatoriae deprehendere sibi videntur, ejusque rationem gerendi belli sibi sumunt emendandam. Quibus magnopere suaserim, eant et in lilio aliquo vel rosa maculam aliquam quaerant iisque studeant addere colores! eant et flagranti meridie soli suam admoveant lucernam! Profecto, si quis umquam ad haec tempora artem militiae novit, si quis umquam artem, quam factitabat, penitus percalluit, is Hannibal fuit; nec facile concedi potest, quidquam eum, quod potestatis suae fuerit, aut omisisse aut non recte fecisse, virum plane singularem, unicum belli artificem, imperatorem omnibus numeris absolutum, cui neminem neque parem fuisse reperio neque nisi longo intervallo secundum. Et, qui id sibi sumunt, artem militiae Hannibalem ut edoceant (sus Minervam, ut aiunt), profecto longe lateque omnia circumspicere debent et

modis omnibus sibi cavere, ne nimium intelligendo id unum efficiant, nihil ut intelligere videantur. Id quod reapse vivo atque audiente Hannibale homo ridiculus Phormio ille Peripateticus suscepit. Rem narrat Cicero de Orat. ii. 18. 75. :—

“ Nec mihi opus est Graeco aliquo doctore, qui mihi
 “ pervulgata praecepta decantet, quum ipse numquam
 “ forum, numquam ullum iudicium adspexerit; ut Peri-
 “ pateticus ille dicitur Phormio, quum Hannibal Cartha-
 “ gine expulsus Ephesum ad Antiochum venisset exsul,
 “ proque eo, quod ejus nomen erat magna apud omnes
 “ gloria, invitatus esset ab hospitibus suis, ut eum, quem
 “ dixi, si vellet, audiret, quumque is se non nolle dixisset;
 “ locutus esse dicitur homo copiosus aliquot horas de im-
 “ peratoris officio et de omni re militari. Tum, quum
 “ ceteri, qui illum audierant, vehementer essent delectati,
 “ quaerebant ab Hannibale, quidnam ipse de illo philo-
 “ sopho iudicaret. Hic Poenus, non optime Graece,* sed
 “ tamen libere respondiisse fertur :—‘ *Multos se deliros senes*
 “ *saepe vidisse; sed, qui magis, quam Phormio, deliraret,*
 “ *vidisse neminem.*’ Neque mehercule injuria. Quid enim
 “ aut arrogantius aut loquacius fieri potuit, quam Hanni-
 “ bali, qui tot annos de imperio cum populo Romano om-
 “ nium gentium victore certasset, Graecum hominem, qui
 “ numquam hostem, numquam castra vidisset, numquam
 “ denique mininam partem ullius publici muneris atti-
 “ gisset, praecepta de re militari dare?”

* At fortasse satis bene Graece, quippe qui etiam Graeco conscriptos libros aliquot reliquerit. Nepos in Vita 13. 2., “Atque hic tantus vir tantisque bellis districtus nonnihil temporis tribuit literis. Namque aliquot ejus libri sunt, Graeco sermone confecti, in his—;” ubi vid. Bardilius.

Et hodie, qui adolescentulos instituunt, hoc studiose omnes pro se quisque cum loris ac verberibus* inculcant, utique peccata quaedam magna duo Hannibalem in bello Punico gerendo peccasse; unum, quod non recta via ne horae quidem unius mora interposita ex acie Cannensi victorem exercitum ad urbem Romam expugnandam duxerit; alterum, quod Capuae, in urbe deliciis omnibus atque illecebris luxuriae ac voluptatis diffluente, post pugnam hiemarit.

Igitur hae criminationes, operae pretium est inquirere, quibus nitantur fundamentis, quantumque sit iis tribuendum. A Livio autem omnino hae opiniones manarunt. Ergo Livium audiamus, xxii. 51. 1 :—

“ Hannibali victori quum ceteri circumfusi gratularentur suaderentque, ut, tanto perfunctus bello, diei quod reliquum esset, noctisque insequentis quietem et ipse sibi sumeret et fessis daret militibus; Maharbal, praefectus equitum, minime cessandum ratus, *Immo, ut, quid hac pugna sit actum, scias, die quinto*, inquit, *victor in Capitolio epulaberis. Sequere: cum equite, ut prius venisse, quam venturum, sciant, praecedam.* Hannibali nimis laeta

* “ We are scourged into the belief that Hannibal ought to have marched to Rome directly after the victory.” *Wilson's Tours*, vol. ii., p. 692. Lond. 1820; ubi etiam plura exstant digna quae legantur. (Nunc vero ab optimo quodam adolescente, qui vero studio literarum promovendarum ultro ad docendi munus se contulit, epistolam accipi, in qua scribit, cetera quidem se in *Hannibale* meo magna cum voluptate legisse, at illud velle magnopere pro se et pro grege suo negare, hodie quidem solere praecipuos adeo injuriose de Hannibale sentire atque docere. Credo de ipso et de paucis, vix credo de grege.)